

tia Rosæ possit Confessarius admonere ejus cognatum, ut absteineat à tali nefario incestu; & quomodo in tali monitione debeat se gerere Confessarius?

Respondeo ad primum cum distinctione. Vel Rosa multoties peccato consentiens, & ad Pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedens cum animo &c. dat aliquod signum emendationis, vel non. Si non, dico ipsam pro eo tunc non esse capacem absolutionis: illa enim nullimoda emendatio, non obstante frequenti accessu ad Pœnitentiæ Sacramentum satis denotat, ejusdem animi abstinendi à nefario concubitu cognati proprie non esse verum, sed apparentem, ac imaginarium; ac proinde, usquequo vere non det aliquod emendationis signum, illi suspendenda est absolutio, eidem suggerendo, quod procuret non stare sola cum solo: & si cognatus eam insequitur, ipsique minatur, ejusdem minas non timeat, & si hic eas exequi tentat, quod vocet domesticos, & si opus est, quod, sumptis aliquo prætextu, hortetur virum suum ad habitandum divisim à fratre; interim Deo enixus se commendans, qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione. Si postea ipsa dat aliquod signum emendationis: tunc dico, ipsam esse capacem absolutionis, hancque ei posse licite impertiri, si vere ostendit animum abstinendi, &c. ac adhibendi præscripta remedia: nam tunc efformari potest iudicium prudens, quod ipsa habeat de præcedentibus verum dolorem, ac firmum propositum amplius non peccandi in illa occasione, eamque, Deo opitulante, avertendi; maxime cum non sit volita, ipsaque faciat quod potest ad illam evadendam. Cardenas dissert. 40. cap. 5. num 123.

Ad secundum respondeo pariter cum distinctione. Vel monitio speratur profutura: puta, quia hæc in posterum eam magis averteret à peccando cum cognato, & ipsa probabiliter non petet debitum à marito ante obtentam dispensationem; & tunc dico, Confessarium teneri eam admonere, quod debet quidem reddere marito petenti, ipsa tamen non potest ab illo petere debitum, ob incestum commissum cum cognato, antequam obtinuerit dispensationem ab Episcopo, vel Confessario privilegiato. Ratio est, quia sic melius præcludit aditum novo relapsui Pœnitentis. Vel monitio non speratur profutura; & tunc dico, Confessarium non teneri ipsam monere, immo melius, ac consultius esse tacere, si ea quoad hoc est in bona fide, ac invincibiliter ignorat affinitatem cum marito contractam. Ratio est, quia ipsam monere in tali casu, esset potius ipsi injicere laqueum ad peccandum: quod plane cavendum est, ut de se pater.

Respondeo ad III. posse, supposito quod Rosa sua sponte, ac expresse id ei commiserit. Ratio est, quia sigillum Sacramentale ex se participat naturam cujusvis alterius secreti, cujus usus pendet ex prudenti voluntate committentis; sicut depositum ex voluntate deponentis. Hinc sicuti fideus aliquod aliud secretum alicui, potest huic permittere, ut in aliqua honesta circumstantia, pro sua prudentia, eodem eum aliquo utatur; ac disponens indulgere, ut depositarius in aliquo peculiari casu utatur re penes ipsum deposita, ita & pœnitens, in cuius favorem inductum est sigillum Sacramentale, potest &c. sicque, de expressa, &

spon-

spontanea commissione Rosæ, potest Confessarius monere cognatum illius, ut absteineat &c. præcipue cum nulla extet lex id prohibens. Suarez de Pœnit. disp. 34. sect. 4. aliique communiter. In hac tamen monitione facienda, opus est Confessario magna prudentia; correcto in primis leniter manifestando notitiam, quam habet de delicto ab eo commisso cum Rosa; dein faciendo illi cognoscere, quam grave sit istud peccatum, ac scandalum Rosæ datum, quanta ob id ipsius simul ac Rosæ spiritualis miseria, cui periculo subsint æternæ damnationis, ni resipiscant, &c. eumque sic hortando ad Confessionem quamprimum, ac veram emendationem, practice ostendet quomodo in tali monitione debeat se gerere Confessarius.

CAS. II. Cum ex promissione nuptiarum, & adulterio, factis, stante eodem conjugio, oriatur impedimentum criminis: Q. primo, an hoc oriatur casu, quo promissio intervenerit sub uno matrimonio, & adulterium sub alio? Et dato quod tunc non oriatur, ad promissionem, & adulterium prærequiratur matrimonium consummatum? Secundo, an dicta promissio debeat esse mutua, sincera, & absoluta: an vero sufficiat (cum adulterio) promissio ab uno alteri facta, vel etiam promissio ficta, aut conditionalis? Tertio, an simul cum promissione sufficiat copula absque immissione seminis intra vas: aut copula completa, sed habita cum ignorantia crassa actualis conjugii? Quarto denique, an tale impedimentum incurrant qui fecerunt quidem promissionem, & adulterium, sed inscii, quod his annexum esset tale impedimentum.

Respondeo ad primum negative quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia licet Sacri Canones expresse non dicant, utrumque occurrere debere sub eodem conjugio, tamen id expriment æquivalenter, & quantum sufficit ad id percipiendum: nam cap. fin. *De eo qui duxit &c.* sic legitur: *Si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit... tolerari non debet* (subintellige Matrimonium) *si prius, vel postea*, (nempe, si antequam, vel postquam cum hac secunda contraxit) *dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Ubi notandum, quod ibi est sermo de eadem prima uxore vivente, & de promissione, ac adulterio, factis dum vixerit uxor ipsius, & per consequens de promissione, & adulterio, factis sub eodem conjugio. Nec valet id, quod ibidem inquit celebris Joannes Andræas, scilicet, quod, etiamsi quis dederit alteri fidem in primo conjugio, & commiserit adulterium in secundo, adhuc verum est dicere, quod, constante Matrimonio legitimo, dedit illi finem, & eam cognovit, & sic quod secundum matrimonium non habet remorari impedimentum. Non valet, inquam: in primis, namque ad hoc respondet Abbas Panormitanus ibidem, quod semel ac, non obstante uni data stante primo matrimonio, contrahit postea secundum cum alia, jam per hoc videtur recessisse à fide, ac promissionem ipsomet facto retractasse; & sic, constante hoc secundo conjugio, superest solum adulterium, quod se solo non inducit istud impedimentum: præcipue cum ideo Jura istud induxerint, ne quis uxori viventi machinetur mortem spe illam ducendi, cui fidem dedit:

Ddd 2

quæ

quæ ratio cessat, statim ac mortua uxore; non istam, cui promissit, sed aliam ducere voluit. Deinde si promissio in uno, & adulterium fuit in alio Conjugio commissum, jam hæc duo non interveniunt, *uxore vivente*, in singulari, sed viventibus successive uxoribus; neutrius enim respectivo tempore evenit utrumque, prout cæteroque de utroque fit mentio in præfato cap. fin. tamquam secuto *vivente uxore, ac dum vixerit uxor ipsius*. Ergo ut oriatur dictum impedimentum, debet utrumque concurrere, stante eodem Conjugio, prout Canonicam sanctionem intelligunt Theologi, & Canonistæ communiter. Ratio postea secundæ partis est, quia etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum, tamen carnalis concubitus cum alterius sponsa de præsentis, est verum adulterium, simul involvens etiam malitiam stupri, si hæc erat virgo; est enim adulterium, quatenus est carnalis concubitus cum alteri nupta. Anacletus in 4. Decret. tit. 7. num. 6. Consensus namque, & non concubitus nuptias facit, ut ait Ulpianus in l. *Cum suorum*, ff. de Reg. Jur. Cumque Matrimonium definiatur, Con-junctio viri, ac mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens, *ly Con-junctio* animorum conjunctionem significat. Propterea matrimonialis contractus, per textum in l. *Nuptias* ff. de Nuptiis, solo animorum consensu perficitur, ideoque inter Sanctissimam Virginem, ac Sanctum Joseph verum exitit matrimonium. Unde colligitur, quod si talis concubitus est verum adulterium, quamvis Matrimonium nondum fuerit consummatum, eodem simul ac promissione concurrentibus, utique emergit criminis impedimentum. Addidi postea, dictum carnalem concubitus simul involvere etiam malitiam stupri, si fuerit cum virgine, eo quia in casu, ultra injustitiam, factam sponso, habenti jus in re, & injuriam irrogatam Sacramento, intervenit defloratio, ac propria fractio claustris Virginalis &c. quæ est circumstantia specifica, diversa, ab illa adulterii, & proinde necessario exprimenda; ut inter alios tradit Puteobonellus de Pœn. quæst. 3. art. 4. num. 19. necessitatem hujus expressionis propterea extendens simul ad circumstantiam, & qualitatem personæ, dum agitur de copula cum sponsa de futuro.

Quantum ad secundum respondeo, necesse non esse, quod promissio sit mutua, sed satis esse, quod ab uno sit alteri facta, dummodo ab hoc sic acceptata. Ratio in primis desumitur ex cap. *Significasti* 8. *De eo qui duxit*: ubi legitur: *Si alter eorum fidem dederit de Matrimonio contrahendo*: quæ verba, ut recte notat Anacletus loc. cit. num. 1. unius promissione verificantur. Deinde nullibi habetur necessitas repromissionis in casu ex altera parte, cujus etiam acceptatio satis inducit periculum captandæ mortis conjugis (ad quod præcavendum hujusmodi promissionem jura veterant) & sic quoad effectum, ac finem, acceptatio æquivaleret repromissioni. Non sufficit tamen simplex pollicitatio, nempe, promissio absque acceptatione; tum quia sine hac non ita facile inducitur spes futuri conjugii, & successive votum captandæ mortis, tum etiam quia cum simus in casu delicti admittendi, & obligationis personalis, taciturnitas non habetur pro consensu; ideoque requiritur vel repromissio, vel sal-

saltem acceptatio expressa promissionis factæ ab altera parte, quamvis hæc acceptatio exprimi possit verbis, vel signis æquivalentibus, ut cum Menochio, & aliis tradidit Marcus Paulus Leo in praxi ad litt. M. Pœnitent. part. 2. de form. dispensat. Matrim. pag. 199. Non est quoque necesse, quod promissio in casu sincera sit, & facta cum intentione adimplendi: quo promittitur, siquidem ad inducendum Criminis impedimentum non requiritur, quod promittens interne ex animo sincero, & valide promittat, alias cum hujusmodi promissio, quantumvis facta cum juramento, utpote dans causam optandæ mortis, ideoque à Jure reprobara, numquam valida sit, numquam induceret istud impedimentum. Sufficit ergo, quod sit seria externe, adeo ut quando externe fit, non appareat facta ex joco, ac fecte, sed omnibus circumstantiis rite perpensis, parti promissariæ videatur vera, & ab ea proinde acceptetur; tunc enim apta est provocare ad votum captandæ mortis conjugis, & sic una cum adulterio sufficit ad pariendum impedimentum, ut cum Joanne Andræa, & Sanchez, docent laudatus M. Paulus Leo ibid. pag. 198. & Continuator Oper. Tournely de Dispensat. in specie, part. 1. cap. 5. numer. 1. in fine: Ecclesia namque, ut ab his perpetrandis, immo & machinandis, ac intendendis, deterreret, apposuit hoc criminis impedimentum. Denique non est necesse, quod præfata promissio sit absoluta, sed sufficit conditionalis, quamvis conditio apposita esset turpis, aut impossibilis, vel etiam contra substantiam matrimonii, dummodo sit acceptata. Ratio est, quia, ut per promissionem inducatur præfatum impedimentum dirimens, non est necesse, ut promissio sit valida, cum sive sit absoluta, sive conditionalis, numquam valida esse possit, ut dictum est, ac aliunde detansam captandæ mortis &c. quod leges cavere voluerunt. Ita post alios Continuator Tournely l. cit. num. 2. casum excipiens, quo conditio tali modo apponeretur, ut ipsam promissionem subverteret; puta, si vir puellæ promittat sub conditione, quod eam virginem deprehendat, & in concubitu clare comperiat ipsam jamdiu à virginitate excidisse.

Quantum ad tertium respondeo cum communi, non sufficere cum promissione copulam absque immisione seminis intra vas, quidquid sentiat in contrarium Anacletus loco supra citato, num. 13. adulterium namque est species naturalis luxuriæ consummatæ intra vas fœminæ generationi deserviens; ac proinde hujusmodi consummatio requiritur ad inducendum impedimentum; præcipue cum simus in materia pœnali, ut tradit etiam Anacletus ipse in sua Theologia Moral. tract. 14. distinct. 14. quæst. 4. §. 9. num. 93. simplex namque penetratio non est adulterium, nisi inchoatum; & quando lex inducit aliquid ex facto aliquo, requiritur, ut illud factum sit perfectum, & non inchoatum tantum, maxime in pœnalibus; ut docent Panormitanus loc. cit. num. 2. Innocentius de Spons. alique passim: an postea sufficiat copula completa, sed habita cum ignorantia crassa actualis conjugii, affirmat loc. cit. præfatus Continuator Tournely, quia ignorantia voluntaria, nec à crimine, nec à criminis pœna excusat; & hanc inquit esse communem Doctorum sententiam. Negat nihilominus Sanchez de

de Matrim. lib. 7. disp. 79. num. 38. & M. Paulus Leo cum aliis, quia adulterium debet esse utriusque formale; immo ignorans non committit adulterium, ut colligitur ex cap. 1. *de eo qui duxit*, ubi Glossa in v. *insciam*. Nec refert, quod in casu ignorantia conjugii, utpote crassa, fuerit culpabilis, nam cum hic agatur de ignorantia facti, quaelibet ignorantia, etiam crassa, excusat à formali adulterio, juxta cap. *ignorantia* 13. de reg. Jur. in 6. & ideo ab incursione hujus impedimenti; nam adulterium non committitur sine dolo malo, l. penult. ff. ad leg. Jul. de Adult. ubi autem requiritur dolus, non satis est lata culpa, juxta Glossam communiter receptam in l. *magna negligentia* 266. v. *dolus*, ff. de verb. significat. ideoque qui habuit copulam completam cum ignorantia actualis conjugii, quantumvis crassa, non contraxit impedimentum. Ita præfati Doctores, quorum sententia, quamvis revera sit minus communis, mihi tamen videtur valde probabilis, ob rationes allatas. Et ad rationem in contrarium, dico, ignorantiam voluntariam eo tunc nec à crimine, nec à pœna excusare, quando delictum est commissum sub ea formalitate, cum qua prohiberetur sub tali pœna; secus vero quando commissum fuit absque tali formalitate; prout explicari posset innumeris exemplis. Porro impedimentum, de quo est sermo, utique inductum est in pœnam &c. ast in pœnam promissionis cum adulterio formali, nimirum positive cognito ab utroque concumbente, prout clare colligitur ex illis verbis cap. 1. *de eo qui dicit*. *Quia dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet*, ubi notandum ly *scienter*, quod plane exprimit, ac importat non ignorantiam voluntariam, sed positivam certam notitiam. Insuper ante mox citata verba, habentur hæc alia: *Quod jam mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, &c.* dicitur nedum posse inter eam & illum virum consistere Matrimonium; sed insuper, si ipsa velit, tenetur hic eam ducere. Ergo signum evidens est, quod impedimentum emergit ex promissione, & adulterio utrinque cognito positive.

Ad IV. & ultimum respondeo affirm. Si enim Censuras excipias, ad quas incurrendas requiritur contumacia, ideoque earumdem notitia, omnes aliæ pœnæ, sive statutz per modum inhabilitatis, sive etiam appositæ principaliter in pœnam delicti, incurrantur ab eo, qui delictum, cui annexæ sunt, commisit materialiter, ac formaliter tale; ut patet in impedimento affinitatis orro ex copula fornicaria, quod ex una parte impositum est in pœnam delicti carnalis, ex alia, teste Pichler contrario lib. 4. Decr. tit. 7. contrahitur etiam à fornicantibus cum ignorantia ejusdem. Ergo idem dicendum de reliquis, adeoque etiam de impedimento Criminis: Canones namque statuentes impedimenta, nullibi requirunt vel hujus, vel aliorum impedimentorum notitiam, ut hæc contrahantur, eaque est universalis consuetudo, ac praxis, ut qui voluntarie posuere delicta, quibus hæc impedimenta annexa fuere ab Ecclesia, his irretiti habeantur, ac propterea dispensatione indigentes, quamvis delinquendo ignoraverint, se in hæc incurere. Vide Pyrrhum Corradum Prax. Dispens. Apostol. lib. 8. cap. 9. num. 7.

CAS. III. Vacante pingui Beneficio jurispatronatus, duo ad illud præsen-

tati fuere, unus à patrono Ecclesiastico, alter à compatrono laico, præfenderente, se habere duas nominationes; cumque post dispendium in lite hic id probare non posset, facta fuit per transactionem secreta compositio inter partes, ut etiam compatronus laicus nominaret presentatum à patrono Ecclesiastico, ac postmodum Institutus in Beneficio, patrono laico reficeret expensas factas in lite, & quotannis solveret modicam pensionem jam presentato ab eodem laico compatrono.

Q. I. An licite fuerit hæc compositio? II. An patrono liceat post præsentationem unius, alium præsentare? III. an juspatronatus partim Laicalis, & partim Ecclesiastici, ecclesiasticum sit, an vero laicale?

Resp. ad I. neg. siquidem in cap. *Constitutus de Transact.* expresse habetur, quod *hujusmodi transactiones speciem continent simoniae*, ideoque illicitæ sunt; ut etiam ex eo patet, quod obligatio, quæ imponitur instituendo, nempe reficiendi patrono factas expensas in lite, priusque ab hoc presentato solvendi quotannis pensionem, est onus grave temporale eidem impositum pro re spirituali, eoque ad hanc ipsi viam aperite, & quodammodo istam emere; quod apertam continet simoniam. Hinc sicuti illicitum est, ac simoniacum, etiam legitima auctoritate resignare Beneficium in favorem alterius, quando resignans ab hoc recipit expensas factas in illo obtinendo, ut constat ex cap. *Cum pridem de Pactis*, quia pecunia, quæ datur, recipitur pro re spirituali, quæ resignantur, ut ibidem ait Glossa v. *non duximus*; ita &c. maxime cum aggravare pecunia, ac pensione instituendum, solius sit Ecclesiasticæ Potestatis, ac jus huic competens. Ergo illicita fuit dicta compositio.

Ad II. respondeo, licere Patrono laico (si id faciat antequam presentatus fuerit ab Episcopo institutus) non vero Ecclesiastico, ut constat ex cap. *Cum autem de Jurepatron.* cujus discriminis hanc rationem assignat Glossa in cap. *Si laicus eodem tit. in 6.* quia nempe Patronus Ecclesiasticus plus temporis habet ad inquirendum de Clerico aliquo digno, & habili; nam à die habitæ certæ notitiæ vacationis Beneficii, habet sex menses ad presentandum; Patronus vero laicus quatuor menses tantum, ut ex eod. cap. *Si laicus*. Hic tamen nota, quod cum dicitur, Patronum laicum posse variare ac alium presentare, id non intelligitur *privative*, quatenus possit jam presentatum excludere, & alium loco illius substituere; id enim facere non potest; sed intelligitur *cumulative*, hoc est, cumulando secundum eum primo, & sic etiam alium nominando, ac presentando. Neque id facere potest toties, quoties voluerit, sed semel tantum; nam Jura loquuntur de duobus, & non de pluribus successive presentatis, ut notatur in d. cap. *Cum autem*; ubi v. *verum Collegium* è contrario dicitur, quod si Patronus Ecclesiasticus etiam cumulative alium presentet, presentatio non tenet, sed prior sustinetur, dummodo sit idoneus; ea ratione quod *qui prior est tempore, jure potior esse videtur*, ut concludit præf. c. *Quod est* 24. de Jurepatron. in 3.

Ad III. respondeo, in se esse proprie mixtum; sed quantum ad formam examinis per Concursum, censeri laicale, ut apud Fagnanum in 3. ad præcit. cap. *Cum autem* num. 80. respondit Sac. Concil. Congregatio, etiam in casu, quo Compatroni Ecclesiastici essent plures, & Patronus laicus unus

tantum, hisce verbis: *Sac. Congreg. Concil. re diligenter examinata, censuit, jus patronatus mixtum Laicorum pro una parte, Ecclesiasticorum pro duabus, censeri Laicale, quoad hoc, ut non requiratur forma examinis per Concursum.* Propterea, licet in parochiali de jure patronatus Ecclesiastico, Examen fieri debeat per Concursum, ut statuit Tridentinum sess. 24. cap. 18. tamen forma concursus non requiritur in collatione Parochialium juris patronatus mere laicalis, ut apud eundem Fagnanum ib. n. 21. declaravit præfata Sacri Conc. Congregatio; neque in Collatione Parochialium juris patronatus mixti, ut constat ex Decreto supra relato per extensum. Hinc qui præsentatus fuit à Patrono vel (si patroni plures sunt, ac discordes) qui habuit plures voces, ac in sufficienti numero, ille præfertur, si per simplex examen (ipsi tamen factum ab Examinatoribus Synodalibus) & quoad ætatem, mores, aliaque requisita, judicetur idoneus, & ab Ordinario approbetur. Dixi, *si habuit voces in sufficienti numero*: casu enim, quo nemo ex præsentatis, fuerit præsentatus à pluribus partibus comparatione minorum, puta, ex decem vocibus decem Patronorum discrepantium, non habuerit saltem quinque, præsentatio valida non est, ac in eo casu subintrat necessitas formæ examinis per Concursum inter ipsos præsentatos tantum, prout ab eadem S. Congregatione decisum refert Pax Jordanus Elucubr. lib. 10. tit. 8. de Collat. Paroch. num. 56. hisce verbis: *Veniente vocatione Parochialium de jure patronatus Laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per Concursum inter ipsos præsentatos tantum; ex his, qui, factò examine idonei ab Examinatoribus renunciati fuerint, Episcopus eum eligat, quem ceteri, magis idoneum judicaverit, atque illum, & non alium instituit*: hic enim subintrat inspectio, quod quoties Patroni plures præsentant, quorum neuter sufficientem vocum numerum reportat, censetur ea intentione id facere, ut dignior ex approbatis, ad mentem Concilii d. cap. & Constitutionis *In conferendis* 33. S. Pii V. ab Episcopo eligatur. Si tamen in discordia decem patronorum, ut præfatum est, quis præsentatus quinque voces reportaverit, tunc præsentatio valida est tamquam facta à majori parte patronorum respectu minoris, licet non sit facta à majori omnium; siquidem in hoc differt præsentatio ab Electione, quod in hac non sufficit, quod quis eligatur à pluribus partibus comparatione minorum, sed requiritur major pars Collegii cap. *Ecclesia l. 1. de Elect. & Clement. Exivi de Verb. signif.* in illa vero sufficit, quod quis eligatur à pluribus partibus comparatione minorum, cap. *Quoniam de Jurepat.*

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. Fortunius cum advertentia, & deliberatione sufficienti ad mortale, has protulit propositiones: *Pueda renegar de Dios, si no me vengo de mi enemigo: A pesar de Dios me quiero vengar.* Q. an utraque sit blasphemia hæreticalis?

Respondeo, primam non videri blasphemiam hæreticalem; potius namque videtur imprecatio quædam cum irreverenti Fidei nominatione, aut species quædam juramenti execratorii, quam blasphemia; sicuti cum dicitur, *Possim*

mori, ni te percutiam, non est blasphemia, sed species quædam juramenti execratorii, lato modo sumpti. Neque dicas cum Giribaldo in 1. Præcept. Decal. cap. 6. dub. 3. num. 33. in præfata propositione tacite includi propositionem affirmativam negandæ fidei, si in eo eventu non sequatur vindicta; item includi pravum affectum negandæ fidem, cum conditio non imponatur ex parte negationis, sed ex parte rei; sicque in actu conditionali poni in esse aliquid, nempe, voluntatem de præsentati negandæ fidem; & ex blasphemia illa conditionali, significari, fidem nostram non esse firmam, cum possit ab eventu pendere: Contra enim, nego assumptum quoad utramque partem; sicuti enim ex quo aliquis dicat, *Possim mori, si te non percutiam*, inde non inferitur, in hac propositione contineri affectum de præsentati in ordine ad optandam sibi mortem, vel eidem semetipsum subjiciendi, si non sequatur percussio effectus; sed tantum intervenit illa dictio verbalis, ac voluntas inefficax: ita hoc idem dicendum in casu illius propositionis: *Pueda yo renegar &c.* tum namque verum non habet animum unquam Deum renegandi, sed potius hujusmodi propositio hunc facit sensum: Tam firmam voluntatem habeo sumendi de meo hoste vindictam, quantum, data proportione, teneo voluntatem non renegandi Deum, Tamburinus in Decalogum lib. 2. cap. 5. num. 22.: Quantum ad 2. respondeo cum distinctione: Vel fortunius proferens, *A pesar de Dios quiero vengarme*, protulit hanc propositionem intendendo, quod Deus impedire non posset ejus vindictam: & tunc certe fuit blasphemia hæreticalis, cum negaverit Deo, posse ipsi impedire vindictam, quam indubie impedire poterat, utpote omnipotens, adeoque valens, ante vindictam, ipsi mortem immittere, vel &c. & sic vindictam impedire. Vel eandem protulit, intendendo præcise sumere vindictam, quantumvis hæc Deo displiceret, utpote sui ac proximi ejusdem offensa; & tunc dico, hanc non esse blasphemiam hæreticalem, cum nihil exprimat contra fidem, sed tantum in proferente ostendat perversam, ingrâtam, ac obstinatam voluntatem peccandi, ulciscendo: ita Suarez, aliique.

CAS. II. Maritus negat debitum Uxori petenti: vel, ipsa invita, dissolvit actum cum ea cœptum, ante seminationem utriusque, ne multiplicentur filii, quos in majori numero alere non possunt. Q. an licite id faciat? II. An complendo actum conjugalem, eidem liceat desiderare non concipi prolem?

Respondeo quoad primam prioris quæsiti partem cum distinctione: Vel maritus negans debitum Uxori petenti, id facit interveniente in ea periculo incontinentiæ; vel secluso ab ea tali periculo. Si primum, dico, ipsum illicite id facere, quia salus spiritualis Uxoris multum præponderat amotioni mariti, cui per debiti negationem maritus in casu obviare prætentit; siquidem ibi intervenit periculum animæ Uxoris, & agitur de avertendo gravi malo morali; non sic vero hic; unde urget illud divinum præceptum 1. ad Cor. 7. inculcatum per Apostolum iis verbis: *Uxori vir debitum reddat. Nolite fraudare invicem. . . revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Et hoc eo vel maxime, quia si maritus, in hac circumstantia, hunc actum justitiæ simul & charitatis erga Uxorem exercent,